

Vellem nunc ad alia hinc digredi, nisi cursum orationis sufflaminarent insolita *Speculorum Ustoriorum* incendia. Promethea coelum quondam conscendisse, igneque ferulâ ex sole surrepto effictum à se simulacrum aliquod animasse, fabulosa fingit Antiquitas. Quanto impensius admirari convenit artificum nostrorum solertiam, qui non ad sidera evolantes, sed in superficie terræ subsistentes, ignem tamen caelo deducunt, deductum in foco quodam colligunt, collectoque objecta varia liquant cremantque. Meruerunt autem hoc ævo primam in *speculorum causticorum* fabrica laudem *Manfredus Septala*, Patricius ille Mediolanensis, & *Villetus* Lugduni in Gallia, quorum specula adeo admirandæ sunt efficaciam, ut vel ipsi *Archimedi* aut *Proclo*, quos solos jactabunda vetustas ostentat, invidiam extorquere possent. (26.) Quod ad *Septalium* attinet, ejus Specula Vistoria etiamnum unâ cum aliis rarioribus artificiis, in ejus *Museo*, curiosis peregrinatoribus notissimo, videnda prostant. *Villeti* verò ardens aliquod concavum, cujus diameter triginta ferè digitos adæquabat, *Rex Danie* adeptus est, aliud, quod quatuor & triginta digitos in diametro continebat, *Rex Galliarum* obtinuit, (27.) aliud, cujus diameter triginta digitorum, & paulò amplius erat, *Aliberto* cuidam mille quingentis libris venditum esse, *Acta Anglicana* referunt. (28.) Fundunt hæc specula omne genus metalli, ferum etiam ad solidi imperialis crassitiem breviorè, quàm minutata sunt, tempore; & coctum laterculum eodem temporis spatio vitrificant, lignum sive viride sive siccum momento accendunt, vix denique corpus ullum est, quod non consumatur hoc igne, cujus tanta est vehementia, ut sine insigni periculo manus aliqua supra focum illorum speculorum saltem ad unius minuti secundi spatium commorari non possit: prout hos aliosque stupendos effectus prolixè laudant allegatæ jam sæpius *Ephemerides*. (29.) Vt nunc *Circulum Proportionatorium Galilæi*, (30.) *Pantometrum Kircheri*, (31.) *Mensulam Prætorii*, (32.) *Sextantem Georgii Christophori Eimmarti*, (33.) Noribergensis artificis ingeniosissimi